

4. An leges quædam imperent medium, quædam medium & finem simul?
 Resp. Disting. inter Leges humanas & divinas. Leges humanas negamus taliter ferri; quia non sunt in nostris viribus. Leges divinae verò, licet videantur de fine quodam impossibili latæ, & non de mediis possibilibus, non tamen finis ille est impossibilis, si respectus habeatur ad Deum, & hominem ante lapsum. Quod verò jam in statu corruptionis appareat finis impossibilis, id ex accidente quodam & vitio hominum ortum trahit.

IN LOCO
 DE LEGE NATURÆ.
 THEOREMATA.

1. Certum est, dari aliquam naturæ legem, quæ & numen esse, & illud coli deberi testatur, quæ etiam honesta facienda, & turpia fugienda monet. Scholastici eam vocant: *Synteresin*. Alii, *Dictamen rectæ rationis*.

2. Est ergò Lex naturæ, lumen in mente & voluntate a Deo accensum, nunc obscuratum, occupatum circa cognitionem Legis rigoris, nec circa doctrinam universalem, sed circa hæc: (1) quod sit DEUS, (2) quod honesta facienda, & (3) turpia fugienda.

Dicta Classica.

Rom. 1, 19.

Quod cognosci potest de Deo manifestum est in illis, nam DEUS
 τὸ γνωστὸν τῷ Θεῷ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, ὁ γὰρ Θεὸς
 ipsis manifestavit.
 αὐτοῖς ἐφάνερωσε.

Rom. 2, 15.

Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus illorum,
 οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τῷ νόμῳ γραπτῶν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν,
 simul testante ipsorum conscientia & invicem inter se cogitationibus
 συμμαρτυρήσεως αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μετὰ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν
 accusantibus, aut etiam defendentibus.
 κατηγορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων.

S

QVÆ-